

per alius, quia sicut in eodem possunt contineri per identitatem illa, quorum est distinctio formalis quasi specifica, sicut in eadem anima includuntur perfectiones intellectuales, & sensitivae, quae ita sunt distinctae formaliter, sicut si essent duae res: ita & e contrario, potest aliquid includuntur formaliter contineri in distinctis: Et si hoc est verum, tunc planum est quod Angelus, & anima si non distinguuntur specie primo per talem, & talem intellectualitatem: immo nec primo, nec non primo: quia talis intellectualitas in eis, non distinguitur specie. Aut si istud non est verum, sed relinquantur istud modo sicut dubium, saltem primum dictum videtur satis clarum, scilicet quod per istud non est prima distinctio eorum.

Ad primum argumentum principale, potest concedi, quod essentia Angeli (a), & anima, possunt differre specie: & non tamen potentia, si illud dictum ultimum in solutione sit verum, & tunc illud argumentum non procedit. Vel potest dici, quod potentiae differentes specie ex parte fundamenti, non tamen ex parte objecti, possunt habere actus differentes specie, in quantum illi actus dependent a fundamento illius potentiae: licet isti sint iisdem specie, in quantum dependent ab objectis, & tunc concederetur, quod intellectio Angeli, & hominis de eodem intelligibili, ex parte objecti, est eadem specie, ex parte autem fundamenti, in quantum fundamentum est potentia ratio agendi, sunt alia specie, & tunc oporteret concedere, quod operationes simpliciter differunt specie, quia illa identitas secundum quid ex parte objecti simpliciter non est identitas in specie: sed alia diversitas simpliciter est diversitas, & identitas secundum quid. Quaevisque enim differentia sufficit ad distinguendum: sed non quaecumque identitas sufficit ad perfectam identitatem aliorum. Et tunc videtur sequi illud inconveniens, quod illatum est contra secundam opinionem de actibus beatificis. Nisi forte diceretur, quod tota causa actus beatifici est objectum, & quod potentia se habeant ibi respectu illius actus, ut tantum receptivae, & passivae, & receptiva non distinguuntur formas receptas in specie, sicut patet de albedine in lapide, & in ligno. Ad secundum, & ad omnes auctoritates conformes patet per istam auctoritatem *Ang. Anima sola veritate prima formatur*: propter hoc quidem nihil superius est anima. Verum enim est in ratione objecti, in quo quiescit, & quo ad hoc par est ipsa anima Angelo, quia nulla natura intellectualis potest quietari nisi in objecto infinito: & ita intelligenda est illa auctoritas, & omnes similes.

Ad tertium, concedi potest (b), quod quolibet individuum unius excedit quodlibet individuum alterius. Sed quod sit illud, non oportet explicare ante tertium librum, comparando animam Christi ad naturam Angelicam. Et concedendum est totum argumentum usque ad illud, quod tota capacitas naturae satiatur in beatitudine. Illa enim pro-

a De hoc 1. distincti. 3. qu. 8 ubi habet intellectam esse actuum.  
ad 2. Quere Bon. hic & Var. dist. 6. bujui qu. 1.  
b Distincti. 13. & 14.

positio non est vera (a), loquendo de capacitate mere naturali, praecise enim satiatur secundum proportionem ad merita communiter loquendo, & in hoc satiatur appetitus deliberativus. Qualiter autem flare potest perfectio beatitudo et sola tali satiatur, etiam si appetitus naturalis possit esse ad ulteriorem perfectionem non habitam, poterit tractari alias in materia de beatitudine.

## DE ANGELICA &c. DISTINCTIO II.

**C**irca distinctionem secundam, ubi agit Magister de loco creationis Angeli, & tempore, quando creabatur, quaero primo de duobus. Primo de mensura durationis existentiae Angelorum, & secundo de loco Angelorum. Quantum ad primum, quaero primo.

### QUAESTIO PRIMA.

*Verum in existentia actuali Angeli sit aliqua successio formaliter?*

**Q**uod non, quia quantitas non potest recipi in non quanto: igitur nec successio, quae quantitas est, potest recipi in existentia Angeli, quae indivisibilis est. Confirmatur ratio, quia quantitas permanens, non potest recipi in indivisibili: igitur nec quantitas successiva. Praeterea. Prius, & posterius (b) in ratione numeri possunt integrare rationem temporis: ubiqueque autem est successio, ibi est prius, & posterius: & ibi potest inveniri ratio numerus & mensurae: igitur si in existentia actuali Angeli esset successio formaliter, ipsa mensuraretur tempore. Praeterea, August. 83. qu. 72. *Deum est stabile: tempus autem mutabile*. Item Dion. de div. no. c. 5. & 10. *Ita cum ibi videntur, ibi dicuntur esse*.

Contra, non necesse est Deum creare unum Angelum, quando creat alium Angelum: igitur potest aliquis Angelus esse, alio non existente, & potest Angelus alius creari, ita quod ille sit alio existente: igitur ille, qui fuit isto non existente, & est cum isto nunc existente, videtur esse prior isto: & esse ejus ut non cum isto, videtur precedere esse ejus, ut cum isto. Praeterea, Angelus potest annihilari circumscripto tempore: quaero in quo nunc non in nunc temporis, quia illud non est: nec in nunc aeternitatis formaliter; nec in nunc aevi, quia nunc illud manet unum, & idem per te: igitur in eodem erit, & non erit, si annihilaretur in nunc aevi, quae sunt contradictoria.

Item, aliquis Angelus potest esse creatus, & post annihilari, & iterum reparari: sed esse reparatum, non est ita unum cum esse creato, sicut

a In 4. dist. 49. q. 11. & dist. 50. q. 5. & 1. dist. 1. & in 3. ubi sup.  
b 4. Phys. text. 6. 10. 12.

cut si nulla ininterruptio fuisset, alioquin sic unum esset aliquod interruptum, sicut non interruptum, quod est falsum: igitur in alio *nunc* erit *ipsum esse* Angeli reparatum, & in alio *nunc* prius erat creatum, & si hoc, igitur ibi manifeste sine interruptione, fuisset in alio *nunc*, quam modo. Probatio hujus consequentia, tanta mora fuisset quiescentis, quanta quies: & per consequens tanta mora non tendentis, potentis tamen tendere, quanta esset ibi actu tendere. Hic dicitur quod in existentia actuali Angeli est successio formaliter.

Et dicitur, quod in *avo* est ponere prius, & posterius, & est ponere successione aliquam aliam tanquam in tempore: (a) in tempore enim est successio cum variatione, & prius & posterius cum variatione, & innovatione; in *avo* vero est prius, & posterius, quod dicitur durationis extensionem, quod tamen nullam dicit variationem, nec innovationem. Quod si forte quaeratur, quomodo potest esse prius, & posterius sine novitate circa esse? Dicendum, quod sicut videmus, quod aliter egreditur rivulus a fonte, aliter radius a Sole: sic in proposito videtur: nam rivulus sic egreditur a fonte, quasi nova aqua semper exit, non eatenus: radius a Sole continuo egreditur, non quia semper aliquid novum emittitur, sed quia quot emissum est, continuatur. Unde Soli influentia non est aliud, quam continuatio dati, supposito quod Sol sit: quia motus Solis est causa variationis radii, similiter in motu, & in esse rei mobilis, aliqua proprietatis habita amittitur, vel non habita acquiritur; sed in esse rei aeternae, quod primo datum est, per continuum Dei influentiam continuatur: nulla enim aeterna creatura est omnino actus, id est, purus actus; nec aliqua eius virtus: unde continue indiget divina virtute cooperante. Ideo & si esse totum habeat, tamen continuationem esse non habet fixitatem, & ideo est ibi successio sine innovatione aliqua circa esse, vel proprietatem aliquam absolutam: tamen ibi est vera continuatio, respectu cuius creatura habet esse quodammodo in potentia, ac per hoc habet successione; solus igitur Deus, qui est actus purus, est actus infinitus, & totum esse, & possessionem esse simul habet.

Pro ista opinione arguitur quadrupliciter. Primo ex parte conservationis (b), & fundatur ratio super auct. Ang. super Gen. ad litt. l. 8. c. 19. ubi vult, quod sicut aer respectu Solis non est factus lucidus, sed fit lucidus alioquin absente Sole remaneret aer lucidus: ita se habet creatura respectu Dei. Idem etiam vult & super Gen. ad litt. quod Deus (c) non ita se habet respectu creaturae, & sicut edificator respectu domus. Ex illo arguitur sic. Si creatura respectu Dei non est facta in esse ab ipso Deo, sed est quasi in fieri formaliter: ergo formaliter semper ponitur in esse a Deo: & ita sicut continue manet, ita continue est creatio ejus a Deo. Confirmatur istud, quia conservare non est tantum non de-

destruere: sed est aliqua actio Dei positiva: alioquin diceretur conservare lumen, qui non claudit tenebram. Similiter tunc *annihilare* esset actio positiva, quod falsum est; quia annihilare est non agere: igitur conservare est agere, quod etiam apparet ex hoc, quia nulla creatura est in esse suo independent, quia nec actus purus: igitur continue in essendo dependet a causa; & non tantum a causa, quae dedit esse, & modo non dat: quia conservare tunc nihil esset, nisi prius egisset, & modo non destrueret. Si concedatur omnia ista, quod Deus conservando agit positive aliquid circa creaturam, tamen non actione aliqua continua: quia nulla est ibi forma, secundum quam possit assignari continuatio actionis: nec etiam alia, & alia actione, & semper eadem. Contra: hac actione non habetur formaliter, & ultimate illud esse, quod potest non haberi postea hac actione. Hanc probo, quia causa causans hac causatione, est causa ultimate applicata ad producendum effectum in esse: igitur si cum hac causatione possit stare effectum non esse, non videtur, quod hac causatione habeatur esse ultimate: sed hac causatione posita, qua Angelus producitur in esse, potest Angelus non habere esse etas: igitur non habet illud esse formaliter, & ultimate illa causatione: & habet sic esse, igitur illa causatione. Si dicas, quod non habet esse cum coexistentia in tempore etasino ex prima ratione: sed ad hoc requiritur illud iterum existere, & illo futuro existente, tunc illa ratio inveni est ratio coexistentiam in Angelo. Contra, ita est in aeternitate, quod non habet coexistentiam cum tempore, in quantum coexistentia est: sed solum ex hoc, quod tempus est coexistens ei, & ideo si hoc est causa, non distinguitur, & aeternitas. Similiter non tantum posita creatione iurata Angelus potest non habere esse cum futuro: sed potest non habere fundamentum illius coexistentiae, scilicet esse absolutum: ergo illud esse absolutum non habet ex tali coexistentia. Item secundo principaliter sic, si esse ejus est simplex, & immutabile: ergo licet Deus non potest facere Angelum non fuisse: ita nec non fore. Item in eo, qui habet totum esse simul, idem est fuisse, esse, & futurum esse, sed quod iur, impossibile est cogitari non fuisse, si intelligatur fuisse: ergo si in aeterno idem est fuisse, & fore, impossibile est cogitare ipsum non fore: hoc solus Dei est proprium: igitur, &c. Confirmatur ratio, quia in aeternitate non sunt contradictoria vera de voluntate divina: neque etiam volitio divina est respectu contradictoriorum, ut contradictoria sunt: sed Deus in aeternitate potuit velle creare Angelum unum, & eundem annihilare: igitur voluit ipsum esse, & voluit non esse: vel non voluit eum esse, & voluit eum esse: igitur oportet hic invenire aliquas condiciones ex parte esse, & non esse, ut non sint contradictoria: sed ista, quae tollentur contradictione, non videntur posse assignari, nisi diverbia *nunc*: puta, quod voluit ipsum esse pro A, & non voluit ipsum esse pro B: igitur impossibile fuit Deum velle creare Angelum unum, & annihilare eundem, nisi vellet hoc, & illud pro diversis *nunc*: sed potuit velle hoc, & illud absque respectu ad tempus: ergo necesse est posse ex parte Angelici intelligi aliud, & aliud *nunc* absque respectu ad tempus: ista alie-

a Addit. S. Bon. lib. 2. distinct. 7. 2. par. 2. ar. 1. quest. 3. Var. dist. pref. quest. 2. & 2. b Rat. 1. pro D. Bon. c Cap. 14.

tas non potest esse nisi ipsorum *nunc* avi: igitur, &c. Tertio arguitur ex infinitate, quia cum Angelus durabit in infinitum cum toto tempore futuro, si nunc haberet totam suam durationem, quam habebit semper: igitur nunc formaliter habet durationem infinitam. Hoc confutatur, quia illud *nunc* quod est ex se tale, quod potest coexistere infinito, est formaliter infinitum, sicut si Angelus nunc haberet in se unde posset coexistere omni loco, esset infinitus secundum locum. Et si dicitur, quod hoc non est verum, nisi habeat ex se, unde posset coexistere se contra, licet non habeat ex se, unde sic coexistens: & ideo effective ex se non habeat infinitatem: tamen sicut formaliter habet, unde sic praesens toti loco actuali, & potentiali, licet effective a Deo, esset immensus: licet non a se effective, & licet immensitas sua non aquaretur immensitati divinae secundum intentionem: tamen aquaretur secundum extensionem, ita quod nusquam posset Deus esse per suam immensitatem, nisi ubi posset esse Angelus. Et confirmatur ista ratio, quia negatio negationis, est affirmatio positionis: igitur negationes infinitarum negationum ponunt infinitas positiones, vel unam formaliter infinitam: sed Angelus habens istam existentiam simplicem, habet ex ipsa negationes infinitarum negationum, scilicet non esse cum infinitis instantibus temporis: igitur habet ex ipsa infinitas positiones, vel unam positionem virtualiter infinitam. Quarto arguitur ex ordine eorum, quae possunt esse in aeo: Porcum enim Angelus sui se creatur non peccator, sed innocens: & porcum postea peccato, & non peccato, circumscripto omni tempore: igitur iste Angelus prius fuisse innocens, quam peccator: ergo prius, & posterius sunt in esse ejus. Similiter porcum unus Angelus prius creati, & postea statim annihilari, & postea alius creati: ille prius nunquam fuit illo secundo existente: ergo nec in eodem *nunc* cum illo: igitur est prius unus, & alius posterius, quia si fuerunt & non simul: igitur unus post alium: igitur si unus alius existit cum illis a nobis, fuisse in esse ejus prius, & posterius, sicut esse unus istorum est prius, quam esse alterius. Pro ista opinione sicut auctoritates B. August. 11. Cont. *Mas temporis si semper flaverit, & non fuerit: non esset tempus. Sed aeternitas: & videtur ibi loqui (a) de vera aeternitate Dei, exponendo illud Psal. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Praeterea, idem 4. super Gen. *Pater meus usque modo operatur, &c.* Quia autem ait, *Usque modo, continuationem operis significat, hoc probat subdendo, aliter enim posset intelligi, si diceret, nunc operatur, ubi non est necessitas, ut operis continuationem acciperemus: aliter autem cogit intelligi cum ait, Usque nunc, ex illo scilicet quo cum sa operatus est, vel condidit: ex nihilo, haec illo: Praeterea, Boetius de Trinitate. (b) Quomodo secundum Philosophos de corporibus caelestibus, & spiritibus possit dici, quod sunt semper: magna tamen est differentia in semper*

a Probatur successu patribus Cap. 4. Psal. 101. Aug. c. 14. In 5. Kap. 15. b Lib. 1. c. 9.

per esse, in Deo enim tantum praesens est non currenti: nunc autem suum facit sempiternitatem, id est, aeternam. Praeterea, Damasc. lib. 1. cap. 5. (a) *Seculum dicitur, quod semper proceditur cum aeternitate, velut spatium. Item Genes. 27. Morat super illud Job. Numerus (b) dierum, &c. de Angelis ait: In eis initium carnis, cum mente retro revocamus: Deus non recipit ex quo, nec quousque. Praeterea, Anselm. Probol. 24. Hoc quoque modo transit, omnia enim aeterna: quia tua, & istorum aeternitas tota tibi praesens est, cum illa nondum habeat de sua aeternitate, quod preparatum est: sicut jam non habent, quod praeteritum est. Item Hieronymus ad Marcellam (c). *Solus Deus non novit fuisse, nec futurum esse.**

Contra istam positionem arguitur, quod includat contradictionem: quia ubi est successio, ibi est finis, & posterius, quae non sunt simul, sed adveniente posteriori, prius decedit, & per consequens (d) prius veretur sit, & posterius novum est. Sed si intelligatur successioem esse in mensura absque hoc, quod innovatio sit in mensurata. Contra hoc arguitur, quia secundum Philosophum 4. Phys. Prius, & posterius sunt in tempore, propter prius, & posterius in motu: ita quod si non esset aliud, & aliud in motu, non esset prius, & posterius in tempore. Igitur (e) a simili si non sit aliqua existentia nova in aeterno, nec aliqua novitas in aeo: & sic, si non sit prius, & posterius in mensurata, non erit aliqua distinctio inter prius, & posterius in mensurata. Hoc etiam confirmatur per Philosophum 10. Metaph. quia secundum eum in natura debet esse unigena mensurata: & ita si mensura sit divisible, & mensuratum: quod etiam probatur per hoc, quia indivisibile inquantum indivisibile, non potest mensurari divisibile.

Praeterea (f), *nunc* avi si definit, & non semper manet idem, hoc non potest esse propter defectum subiecti, quia per te subiectum manet idem: nec potest poni per aliquam causam corruptentem, quia non videtur assignari posse causa corruptens: igitur non deficit: Aliter est de *nunc* temporis, quia si suus subiectum proximum deficit, scilicet mutatio: Praeterea, si est hic aliqua innovatio, & inventario circa idem manens: ergo illud proprie mutatur: qui illud aliter se habet nunc, quam prius: mutationis autem mensura est *nunc* temporis: ergo eviterem, inquantum ponitur mensuratum *nunc* avi, mensurabitur *nunc* temporis. Praeterea, quae habet positionem est auctoritas Augustini de Civitate Dei lib. 2. cap. 2. quae etc.

Hanc conclusionem (g) negativam tenendo tripliciter ponitur differentia avi ad tempus, & aeternitatem. Primum differi dupliciter, ut medium, ab aeternitate, & tempore, ut extremis. Primo quia aeternitas permanens mensurata sine possibilitate permutationis,

a Lib. 1. cap. 1. b Cap. 4. Cap. 57. c Sunt verbo glo. Exo. 3. d Henric. quod. 5. qu. 13. & quod. 9. qu. 2. & quod. 7. qu. cum qu. vera qu. praef. e Impug. D. Bon. Tex. com. 99. & 100. f Tex. 4. g Addit.

*nunc*, tempus vero est mensura motus: *avum* sic mensurat permanens ut mutabilitatem non abigit. Secundo, quia eternitas mensurat indeficiens & indefectibile: tempus vero defectibile, & deficient: *avum* vero medians indeficiens sic mensurat, ut tamen defectibile sit, id est potens deficere.

Primo, quia eternitas mensurat rem non mutationi subjectam, nec ad mutationem habentem potentiam: *avum* vero, & tempus opposita modo.

Secundo, eternitas indeficiens, & indefectibilis: *avum* defectibile, licet non deficient: tempus vero defectibile & deficient.

Tertio, eternitas est permanens, & similiter *avum*: tempus vero successivum tanquam mensura motus secundum prius, & posterius in partibus mobilis, ex quo potest fieri.

Contra istum modum ponendi arguo. Videtur enim contradicere sibi ipsi: quia in *avum* non est successio, sequitur, quod esse, quod habet in presenti *nunc*, habeat in sequenti *nunc*: sed esse Angelus, quantum est ex se habet terminatum, sicut dicit expresse, & ponitur quod *avum* potest in quolibet instanti, quantum est ex se deicere: igitur quod *avum* potest in quolibet instanti esse cum isto *nunc*, hoc non potest esse secundum illud idem esse, quod vel alio esse sit cum isto *nunc* secundum illos. Igitur oportet, quod vel alio esse sit cum isto *nunc* secundo, vel eodem iterum posito. Præterea, quia dicitur impossibile esse, que infortuntur, & illa non sequit ex hoc, quod *avum* ponitur indivisibile, sed ex negatione temporis: que negata est impossibile cum positione *avum*, & propter illam impossibilitatem sequitur impossibile de *avum*. Hoc non videtur rationale, quia secundum ipsum, quod est prius natura, quantum est ex se, potest esse prius duratione, hoc est, ex parte sui, sibi non repugnat esse prius duratione, quia absque contradictione quantum est ex parte sui potest esse sine posteriore, respectu cuius dicitur esse prius natura: & ipso posito, & post priore non posito, nulla contradictio est ex parte prioris naturaliter, nec alienius quod pertinet ad ipsum, in quantum prius est: sed *avum* tempus, & mensura eius propria sunt naturaliter priora omni respectu ad tempus, sicut fundamentum est prius relatione: igitur ex tali hypothese non sequitur impossibilitas ex parte *avum*, in quantum *avum* tempus est. Exemplum huius est, quia licet necessario ad subiectum sequatur propria passio, tamen quia subiectum est prius natura passione, non est contradictio ex parte subiecti, quod subiectum sit prius duratione sua propria passione. Contradictio igitur ex parte subiecti, & post priore non posito, quod est prius passione. Contradictio igitur si aliqua sequatur, hoc est per locum extrinsecum ex habitu sine scilicet casu ad esse *avum*. Ita igitur si est necessaria habitudo *avum* ad tempus, tanquam prioris natura ad posterius natura, propter negationem posterius ponendo prius: non sequeretur aliqua contradictio ex parte prioris secundum se, nec ex parte alienius alterius, quod convenit priori secundum se. Ista autem illata, scilicet Angelum non posse esse

esse priorem alio Angelo, vel non posse esse post ipsum non esse, sua impossibilitate per se ex parte *avum*, in quantum *avum* tempus est. Igitur, Sec. Et quod probat etiam illam necessitatem concomitantie temporis ad *avum*, propter ordinem perfectioris ad imperfectius, non videtur sufficere, hoc enim non concluderet de continentia quasi quantitativa, sed quidditativa, sicut quidditas superior continet inferiorum: sed cum tali continentia fiat, quod superior potest esse sine inferiori, & quod sibi conveniat esse, quod est proprium sibi absque inferiori: aut saltem non conveniat sibi in respectu ad inferiori. Ita igitur in proposito dicendum est, quod nihil proprium *avum*, convenit præcise sibi in ordine ad tempus.

Qui vult tenere primam opinionem, que videtur probabilis, & habere pro se rationes probabiles: potest dicere secundum intentionem ponentis, quod *avum* proprie est quantitas, & per consequens habet propriam divisibilitatem: non autem permanentem, igitur successivam. Tale est indivisibile succedens indivisibili, sicut aliud alii: & ita *nunc* *avum* quantum est ex se rapta transe, & esse *avum*, ut positum est in isto *nunc*, ex vi istius positionis, præcise habet esse in isto *nunc*, & statim non est in isto *nunc* transacto: nisi eadem causa alia causatione poneret idem esse in alio *nunc*, & ita conservaret positive causando non aliud esse, sicut est in successivo, sed idem esse infinites, ita quod prima causatio dicitur creatio, que sequitur immediate *nunc esse* ordine durationis: quælibet autem causatio sequens sequitur ad non esse in subiecto mediante ordine durationis, & non esse immediate ordine nature, quod non esse tempore inestet, nisi causa conservans daret esse, sed ipsum esse secundo positum sequitur ordine durationis esse primo positum, & per hoc est continuatum, & conservatum eisdem esse. Exemplum huius est, quia si Angelus habeat aliquam quantitatem virtuales, per quam potest esse præsens alicui loco definitive, ita per eam est præsens huic loco, quod non potest esse præsens simul alii loco: nec absolute potest esse præsens alii loco, nisi aliqua mutatione facta circa ipsam per respectum ad alium locum: vel quod ipsa fiat major formaliter; vel quod ipsa transferatur de loco ad locum: vel quod per potentiam divinant ipsa non detelinguendo ipsum. Ita est in proposito, quod illud esse, quod habet Angelus unica causatione, limitatum est ad hoc *nunc*, & nullo facto novo circa ipsam, non potest vi huius causationis esse ultra hoc *nunc*: sed Deus dans ei quantitatem durativam perpetuam, & hoc una causatione continua, vel infinitis causationibus eisdem esse, dat ei semper vim coexistendi uniformiter quo extendatur toti tempori.

Ad argumenta contra illam positionem, ad primam quod probat contradictionem sequi ex ea, respondendo, quod in illa duratione, sive mora essendi, que est præcise successiva, est innovatio, & pars eius tamen recedit, & alia succedit, & generaliter una pars succedit alteri: non tamen est innovatio aliqua in illa existentia, cuius est illa mora. Sicut si poneretur caro, non habens partem, & partem, sub eadem quantitate permaneret, tunc esset ibi alietas partium in ipsa extensio-

ne formaliter, quae quantitas est absque extensione, vel diversitate partium eius, cui accidit talis extensio. Ex cum probatur non esse distinctionem in mensura per Philosophum 4. *Physic.* nisi licet distinctio in mensura, dico quod bene sequitur, si partes temporis sunt aliae, quod partes motus sint aliae, sicut ab effectu ad causam: sed non est necesse, quod in quibuscumque partes durationis sint aliae, quod aliqua distinctio partium priorum in causa hujus distinctionis: quia illa distinctio, quae alicui est secunda, potest in alio esse prima. Exemplum huius est, ignis calefactus & delictus propter accidentia distincta ordinata in igne: ita quod distinctio actionum est ibi secunda praesupponens aliam distinctionem priorum, scilicet distinctio accidentium activorum: sed ex hoc non sequitur, quod ubicumque est distinctio actionum, quod ipsa sit secunda, quia ibi in Sole consistenter virtualiter illa accidentia distincta ignis, tunc prima distinctio ibi est actionum, quae tamen fuit secunda respectu ignis. Sic dicendum est in proposito. Ad alium argumentum dico, quod *nunc* potest deficere, quia ex se habet tantum rationem transire: licet subiectum eius maneat idem, nec aliquid agens consumat ipsum: & quod *nunc* temporis deficiat, deficiente suo proprio subiecto, accidit, sibi, quod subiectum eius proximum deficiat, quia si illud maneret idem sicut est in quiescente, tunc posset dici, quod illud idem agens, per quod est alud *nunc* succedens illi, producendo aliud *nunc* impossibile illi, destruit illud; non ex se primo, sed ex consequenti. Et si quartas tunc (a), in quo deficiat illud *nunc*, aut in se, aut in alio: sicut arguit Philosophus 4. *Physic.* Dico, quod *deficere*, sicut & *definire*, potest exponi dupliciter. Uno modo per positionem praesentis, & negationem futuri. Vel per positionem praeteriti, & negationem praesentis. Primo modo debet exponi in indivisibilibus, & in his quae habent ultimum sui esse: illa enim non habent primum sui non esse, & tunc desinant, cum sunt, & hoc modo *nunc* definit in se, quia *nunc* est, & post hoc non erit. Et si quartas primum sui non esse, nullum est, sicut nec alicujus habentis ultimum esse.

Alio modo potest conclusio sustineri, licet non ad intentionem ponentis illam positionem principalem, quod tota existentia Angeli maneat secundum quod absoluta est, habens tamen novum, & novum respectum ad ipsam causam: ita quod ipsa, tota ut sub uno respectu ad causam suam causantem, succedit sibi ipsi, ut sub alio respectu ad consequentem, & ista via fortis: esset facilior ad tenendum successione, quam prior, quae ponit quantitatem, licet esset ex alia parte multum difficile sustinere, quomodo esset ibi vera successio praecise absque omni distinctione in absoluto quocumque, sive in fundamento, sive in termino.

Sed contra conclusionem dictae opinionis in se, sive primo, sive secundum modo sustineatur. Arguo sic. Aut *nunc* a vi, quod ponitur aliud,

aliud, & aliud absolutum secundum primum modum sustinendi opinionem, est idem existentia actuali, aut aliud; si idem, patet quod sicut existentia actualis manet eadem, ita & *nunc* a vi; si aliud, contra, sicut ipsa existentia potest infinites poni in esse, ita videtur, quod illud idem *nunc* absolutum aliud ab ea, potest frequentari poni in esse, & ita potest conservari idem *nunc* a vi, sicut eadem existentia. Si dicatur, quod sponatur in esse frequentari, ponitur in diversis *nunc*: contra, illud *nunc* absolutum aliud ab esse existentia, si potest frequentari poni in esse in alio, & alio *nunc*: adhuc eadem erit ratio, quod in quolibet poterit conservari: & tunc erit processus in infinitum, vel status erit in hoc, quod sicut existentia conservatur eadem: ita quocumque absolutum in Angelo potest conservari idem. Similiter in sequenti questione probabitur, quod non est in Angelo aliud absolutum aliud ab existentia eius, & ita non poterit esse identitas in existentia, & successio in aliquo alio absoluto sui, & sive sic sufficit, sive sic; non videtur posse esse novus respectus sine novitate fundamenti, vel termini. Nam respectus consequens extremus, ita quod uno, vel altero positio, sequitur respectus ex natura extremorum, non potest esse novus, ut videtur, sine novitate in altero extremo; nihil autem per se, est novum in fundamento hujus respectus, nec in termino, ut patet. Similiter ille respectus est idem cum fundamento, ut patet ex quaestione praecedenti: igitur non potest ille respectus esse alius fundamentum existente eodem.

Potest ergo dici, quod nulla est necessitas ponendi aliquid novum, sive aliquam successione in aliquo Angelo (a), quod scilicet sit in eo formaliter: quia quicquid est ibi, potest manere idem, sicut existentia manet eadem: & per consequens quilibet respectus consequens absolutum.

Ad argumenta pro prima opinione. Ad primum dico, quod utraque via salvat dictum Augustini, nam sicut prima via dicitur creaturam semper essentialiter aequae dependere a Deo, ita quod sit quasi una continua causatio, vel infinita causationes sint conservatio rei, ac per hoc semper ita actualiter causat rem sicut in primo instanti causatur: licet ista causatio, ut consideratur in primo instanti, dicatur creatio, in aliis conservatio; ita secunda positio non videns rationem continuationis in hac causatione, quia nullam formam continuationem: nec videns tantam rationem distinctionis, quia non videns illam distinctionem: nec in create, nec in creato, quantum ad terminum formalem, dicitur, quod una actio semper manens respectu terminum, est creatio, in quantum intelligitur coexistere primo *nunc* temporis, quia *nunc* temporis praecessit non esse illius creati: & illa eadem actio manens dicitur conservatio, in quantum coexistit aliis partibus temporis non immediate sequentibus non esse; sed esse praehabitu cum illis partibus temporis: & ita illa actio est quasi continuatio esse praehabitu non comparando

a Tex. 50. idem 6. *Physic.* tex. 24. Duplex modus definiendi & explicandi, per ultimum esse, & ultimum non esse a Scot. q. 4. d. 1.

rando ad esse, ubi non est prius, nec posterius; sed comparando ad partes temporis, quibus coexistit.

Sed præter intentionem Augustini, ratio ibi adducta videtur habere difficultatem, scilicet quod alia causatione res habeat esse cum uno *nunc*, & cum alio; quia illud non habetur complete, vel aliquo consuetudine: cuius oppositum videtur stare, posita tali causatione. Respondeo igitur, quod ista propositio est distinguenda secundum compositionem, & divisionem, quia in sensu compositionis est vera: quia illud non habetur aliqua causatione complete, cuius oppositum stat, stante tali causatione: ita quod ista sint simul: sed in sensu divisionis est falsa, quia & ipsa res poterat non esse; licet posita fuerit causatio, quia res habet suum esse ultimatum. Ita etiam licet posita sit creatio Angelum, potest tamen divinum esse posita stare, quod Angelus non sit, licet non conjunctim. Et per hoc patet ad simile argumentum, quod non possunt simul stare quod Angelus creetur, & annihilatur: ergo non est idem creati, & conservari, quia quando conservatur, potest annihilari, non autem quando creatur. Respondeo, sicut non stant simul in sensu compositionis Angelum conservari, & annihilari: ita nec creati, nec conservari stant simul in sensu compositionis: sed in sensu divisionis stant circa Angelum esse quandoque creationem, sive conservationem: & tamen quod quandoque possit non esse, & sic possit esse annihilatio, sicut dictum est in materia de prædestinatione, & præsentia Dei, quod in sensu divisionis est potentia ad unum oppositum manente alio: non tamen quod sit potentia ad illud oppositum simul esse cum alio opposito manente. Ad secundum dicitur, quod non est aliud ex parte Angelum ipsum esse, fuisse, & fore: tamen aliam habitudinem ipsius esse ad tempus notant ista: quia, sicut dictum est *dist. 9. primi de generari, & genitum esse*, per que significatur *nunc* æternitatis inquantum coexistens diversis partibus temporis: ita dicerent etiam isti de *nunc* ævi, quod idem potest esse, & coexistere omnibus partibus temporis. Et cum dicitur in argumento, non potest facere Angelum non fuisse, negatur ista, ut est nota rei significare per *fuisse*, quia illa res significat per *fuisse*, est illud idem esse quod nunc habet Angelus. Et si dicitur, potest tamen non potest non fuisse, negatur minor, quia hoc non est præteritum in se. Exemplum hujus est: Si Filius Dei, cum hoc, quod generatur in æternitate, acciperet aliam naturam, secundum quam dependeret a Patre per impossibile, tunc diceretur idem in eo esse generari, & genitum esse: & illud esse Filii posset absolute non esse: & inquantum illud esse quasi immediate sequeretur suum non esse, diceretur generari, & inquantum quasi mediate sequeretur suum non esse, ut coexistens aliis partibus temporis, diceretur genitum esse. Et ita conservatio, & productio, sive creatio differunt sola actione intellectus; & potest conservatum non esse, quando conservatur, & quando producit, in sensu divisionis. Et si arguatur, Præteritum non potest non coexistere isti: ergo istud non potest non fuisse: videtur esse fallacia figuræ dictionis, commutando *quando*, in *quid*. Ad confirmationem illius secundæ rationis, & de contradictoribus

volitis in æternitate, potest dici, quod licet Deus voluit me sedere pro A. & non sedere pro B. tamen prius naturaliter voluit sicut ab eo ipsa objecta, quam ipsa *nunc* mensurantia, & in illo priori oportet querere, non contradictionem istorum voluntatum, aliquo imper ipsa *nunc* posteriora eis adjecta, non videtur posse tolli illa contradictio respectu hujus: Ita hic, si enim vellent Angelum esse pro hoc *nunc*, & non esse pro hoc *nunc*: Primo querenda est possibilitas, quomodo vellent Angelum esse, & non esse. Dico tunc, quod si *nunc* ponatur in quocunque æternitate, tanquam proprium sibi, Deus vult ipsum esse in illo *nunc* positive: & vult ipsum non esse negative, volendo illud *nunc* non esse, & tunc si aliud æternitatum sit, in cuius *nunc* fiant ambo ista, hoc accidit ipsi, nam illud *nunc* illius æternitatis, non est propria mensura eorum: sicut nec æternitatis, in qua æternitate potest esse contradictoria, que succedunt sibi in omnibus mensuris. Aut si non ponatur in aliquo æternitate non esse aliud ab existentia actuali ipsius Angelum, sicut dicitur in questione sequenti, tunc vult ipsum esse cum æternitate: & vult ipsum non esse cum æternitate, non tamen vult ipsum esse cum æternitate secundum omnem præsentialitatem æternitatis, nec non esse cum tota æternitate hoc modo: quia tunc esset contradictoria; non est autem contradictio, comparando ista ad æternitatem, non secundum totam rationem presentia suæ infinitæ. Ad tertium dico, quod ad hoc quod ex coexistentia alicujus quanti virtualis cum alio quanto proprie, scilicet motis, debet concludi infinitas quanti virtualis, oportet illud necessario coexistere omnibus partibus quanti alterius. Quod probao, quia quantum aliud non esset infinitum, nisi haberet necessario omnes partes possibile: sicut tempus nunquam esset actu infinitum, nisi haberet necessario omnes partes ejus sibi possibile simul: ergo nihil concluditur esse infinitum virtualiter ex coexistentia ejus cum toto tempore; nisi necessario coexistat cum omnibus partibus temporis, tale autem non est ævum; dico tunc, quod licet formaliter habeat, unde possit coexistere infinitis partibus temporis, non sequitur propter hoc, quod sit in se infinitum, quia non habet formaliter, unde necessario sic coexistat. Ad aliud simile de immanentia, dico, quod ibi non est simile, quia ibi illud, per quod posset esse præsentis omni loco, esset in eo simul, & non per aliquam conservationem causæ extrinsecæ. In proposito autem habet unde coexistat partibus temporis; sed nihil haberet, per quod coexistere, nisi idem causaretur quasi continue ab aliqua causa extrinsecæ: licet non alia causatione ita quod simile hujus magis esset de isto, si causaretur continue coexistentia ejus cum alio, & alio loco, & si hoc posset eadem causatione, nunquam tamen ut simul coexistens haberet infinitam presentiam loco, & ita illud nunquam esset immentum; ita in proposito.

Contra finitum non potest coexistere simul toti infinito, ita quod in se habeat totum, unde possit eam coexistere: ergo quod sic coexistat, est infinitum. Respondeo. Antecedens negatur de illo infinito, quod

quod est in successione, & de illo finito formaliter habente, quod semper eadem actione habet; ita quod non sine tali actione. Ad quartam conceditur, quod unum eorum succedit alteri a quo, & existentia avertitur, succedit suo opposito, & unum est post alterum; sed ex hoc non concluditur aliqua successio, in aliqua una existentia avertitur alicujus. Et per hoc patet ad omnia alia argumenta, quod illi duo Angeli, de quibus conceditur prius, & posterius, quod unus manet post alium; si tamen certius coexistere ambobus in esse illius tertii, nullum est prius, & posterius, sicut si dies hodiernus, & crastinus coexistere aternitati; non propter hoc est prius, & posterius in aternitate. Similiter conceditur, quod prius est existentia Angelii, quam ipsius culpa; ita quod ipsa existentia sub innocentia, esset cum opposito illius existentie, & ex illa secunda existentia sequeretur oppositum sui, & oppositum primi; non tamen existentia Angelii in sua natura haberet aliquam successioem; nec ut sub innocentia existens, nec ut existens sub culpa; sed tantum esset successio in actibus, hoc est quod existentia unius avertitur, est post alterius existentiam; sine tamen diversitate alterius in se.

Auctoritates adductas pro illa opin. concedo, quia nulla creatura est a prima causa independens: sed semper dependens a causa; non tamen dependentia continua, nec alia, & alia, sed eadem; & propter istam eandem potest qualibet creatura habere esse cum una parte temporis, & non cum alia; & pro tanto potest quasi cadere sub tempore, hoc est, ut coexistat uni parti temporis, & non alteri; & ita dicitur fuisse, non fore, & ita non aternam.

Ad argumenta principalia. Ad primum conceditur, quod unus Angelus creatur prius alio: sed non propter hoc sequitur, quod in esse Angelii prius creati, sit prius, & posterius. Ad secundam similiter potest dici, quod Angelus potest annihilari in eodem *nunc*, negative, si habet *nunc*, id est, quod fuit *nunc*; deficiat secum: si autem sum *nunc* non differat a sua existentia, tunc potest annihilari cum aternitate, & esse cum aternitate: sed non cum tota ratione presentia aternitatis. Ad ultimum dico, quod esse reparati, sequitur non esse annihilati: & illud non esse, præcedit esse creati, & illud esse præcedit non esse creati: & ita idem esse sequitur seipsum idem esse, mediante non esse interruptante; nec sequitur ex hoc aliquam continuatio in ipso esse, si non fuisset annihilatum, qua modo non est successio in aliquo uno, sed unius oppositi ad alterum.

Contra, ergo ita simul est existentia interrupta cum seipsa reparata, sicut non interrupta. Respondeo, si non esset ibi successio oppositi ad oppositum, quod oppositum ibi mediatur inter hoc esse, & se, sequeretur, quod esset tanta similitudo, sicut si oppositum non interveniret, *nunc* autem oppositum quasi mediatur inter esse creatum, & ipsum esse reparatum: & hoc oppositum est aliquod medium, vel aliquam habitudinem habet ad utrumque extremum; & ideo non sunt ita simul, sicut si non esse non intervenisset: si tamen modo sit idem *nunc*

*nunc* reparatum; vel si eadem existentia nullum requirit *nunc*; vere idem, & in eodem est existentia reparata, & creata sine omni successione in illo in se: licet ipsum, utia esse positum succedit sibi ipsi, ut prius positum in esse, ita fuisset in eodem *nunc*, si non fuisset interruptum, & absque omni successione utroque modo.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Vivum in Angelo actualiter existente necesse sit ponere aliquam mensuram ejus existentiam, vel durationem existentie ejus realiter aliud ab ipsa existentia?*

Quod sic. Tempus differt a motu, (a) per hoc quod mensurat ipsum sicut probat Philosoph. 4. Physic. per hoc quod tempus non est velox nec tardum; (b) motus autem dicitur velox, vel tardus; & per alias rationes; ergo a simili, vivum est aliquid aliud ab existentia avertenti mensurans ipsum. (c) Secundo sic, quantitas permanens, & successiva sunt ejusdem generis: ergo utrumque est ali quid aliud a suo subiecto, maxime si illud pertinet ad genus substantie: ergo sicut quantitas permanens est aliud ab eo cuius est mensura: ita & quantitas successiva.

Contra, de illo alio si sit, quæro, quod durat in esse? Si seipso: ergo pari ratione ipsa existentia poterit seipsa durare formaliter, quia istud aliud non erit perfectius ipsa actuali existentia ejus, cum sit quasi passio ejus, si autem alio se absolute durat in esse, erit processus in infinitum in mensuratis, & mensuris.

Respondeo, patet enim, quod prima opin. in precedenti quaest. debuit concedere partem affirmativam, quia vivum vere potest habere rationem mensuræ, & esse quantitatem proprie; & ita differre ab existentia Angelii, que non est in se formaliter quanta, sed indivisibilis, similiter in illa existentia succedunt sibi invicem *nunc* a vi, alia & alia: ergo utrumque differt ab ipsa existentia Angelii, sicut quoddam absolute secundum illam positionem, quia sunt indivisibilia de genere quantitatis. (d) Similiter aliqui tenentes secundam opinionem in precedenti quaest. scilicet de indivisibilitate a vi, dicunt ipsum eorum pertinere ad genus Quantitatis; non sicut divisible, sed indivisibile in genere illo: ita quod ex multis indivisibilibus ejusdem speciei, mensurantibus scilicet existentias plurium avertentorum ejusdem speciei, potest componi quantitas discreta, que sit numerus, & mensura in avertentis: sicut numerus in corporalibus est ex indivi-

a Mag. E. D. Th. p. 1. q. 10. art. 5. quodl. 5. a. 7.

b Tex. 96.

c Tex. 91.

d Henric. quodl. 2. quaest. 2. quare Part. q. 3. lujus dist.

shilibus unitatibus discretis in eis. Pro hoc adduntur rationes, & contra.

Quia istud arguitur, sicut prius argutum est in *quest. 5. 1. dist. 2. hujus secundi in solutione prima ipsa*. Illud (quod si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter) necessario est idem illi, si impossibile est illud aliud esse sine eo: igitur si impossibile est esse Angelum sine aliquo extrinseco, quod fit mentura actualis existentie ejus, cum illud, si esset aliud, esset posterius naturaliter ipsa actuali existentia Angeli, sequitur quod non est aliud ab existentia ejus, aut ei est aliud, & per consequens posterius, poterit actualis existentia aliunde contrarietione esse sine eo, & ita non est necessarium ponere illud. (a) Confirmatur illa ratio, & illa similiter, de qua fit mentio, in *qu. 5. diffinit. 1. hujus secundi*, quia distinctio aliquorum, quorum unum proprie inest alteri, non concluditur, nisi vel ex separatione actuali, vel potentiali; vel nisi sine talia, que sic se habeant ad invicem, sicut aliqua alia, quorum unum est separabile ab alio. Hoc tertium addo, quia secundum Philosophum *7. Met. cap. de partibus diffinitionis*, parabola Socratis minoris, vel junioris, multos seduxit a veritate, dicens, quod si non est circulus nisi in ære; non propter hoc esset ær in diffinitione circuli, & a simili inferentis, quod non oportet carnes esse in diffinitione hominis, licet homo non sit sine carnis; dato inquam, quod esset impossibile separatio istorum ad invicem, si tamen illa sic se habeant ad invicem; sicut aliqua alia, quorum unum est possibilis separatio, concluditur illa esse distincta, puta si ex ratione propria circuli, & trianguli carnis, & ligni, concluditur circulum sic se habere ad lignum, quod triangulum ad carnem: & probatur separabilitas ex una parte: concluditur distinctio ex alia: & dato, quod sit inseparabilis ab una parte, hoc non est ex propria ratione, sed ex aliquo extrinseco. Accipio ergo, quod nihil potest concludi esse distinctum ab alio, nisi vel propter separationem aequalem, vel potentialem, vel propter proportionem istorum ad aliqua alia, quorum alterum est ab altero separabile: sed in proposito nullum (b) istorum contingit, non enim, per te, est hic aliqua separatio actualis, vel potentialis; nec illa se habeant ad invicem, sicut aliqua distincta inseparabilia: quia nihil distinctum ab alio realiter, sine quo non potest esse sine contradictione, est prius eo: sed vel est posterius eo naturaliter, vel simul natura cum eo, istud autem, quod ponitur aliud ab Angelo si esset, esset posterius naturaliter: igitur, &c.

Instat contra istud sic, quia *nunc* secundum substantiam se habet ad substantiam mobilis, sicut istud quod ponitur mensura durationis ex stentia Angelorum, se habet ad illam existentiam, quia sicut ista existentia manet eadem mensurata hoc indivisibili, ita ponitur ex alia parte de *nunc*, & de substantia mobilis, & tamen ex illa parte in-

VP

a *Tex. 39. Sic vocat Plat. quia fuit discipulus Socratis.*

b *Sec. 2. d. 2. q. 2. a. 1.*

venitur distinctio inter substantiam mobilis, & substantiam ipsius *nunc*: igitur & hic. Quod autem debet poni aliquod tale *nunc* mensurans mobile idem secundum substantiam, videtur esse intentionis Philosophi *4. Physic.*, (a) ubi videtur, quasi solvere questionem, quam movet de *nunc*: utrum sit idem in toto tempore, dicendo quod est *unum*, & idem secundum substantiam, (b) differens se unum esse.

Istam instantiam excludendo, primo ostendo, quod illud, quod supponit de *nunc* secundum substantiam, sit falsum, & contra intentionem Philosophi: quia Philosophus probat, quod *nunc* sequitur illud, quod fertur per hoc: quia eo quod fertur cognoscimus prius, & posterius in motu: & ipso *nunc* cognoscimus, prius & posterius in tempore; sed hæc non sunt vera de mobili secundum substantiam: sed secundum quod est suo mutatione alia, & alia, quia si accipiamus mobile secundum substantiam ab ætate, non cognoscitur eo prius: & posterius in motu: igitur nec per idem *nunc* secundum substantiam cognoscimus prius & posterius in tempore, sed per aliud, & aliud. (c) Similiter Philosophus in tertia proprietate de *nunc* dicit, quod non est sine tempore, & sicut motus ad mobile: ita numerus mobilis, nec e contrario, & sicut motus ad mobile: ita numerus motus, vel unitas motus ad numerum vite unitatem mobilis. Falsum est autem, quod mobile secundum substantiam suam non possit esse sine motu: sed precise verum est de mobili, ut est sub mutatione, si igitur sit alterum mobile in toto motu: ergo & *nunc* sibi correspondens. Præterea, quomodo posset ipsum *nunc* indivisibile fluere secundum diversam esse, que necessario essent indivisibilia, quia totus fluxus ejus componeretur ex indivisibilibus? Probat enim Philosophus ex intentione *6. Physic.* (d) quod indivisibile non potest moveri, quia tunc motus ejus componeretur ex indivisibilibus: quia prius pertransiret minus, vel sibi æquale, quam majus ergo tempus est compositum ex indivisibilibus, quod est contra Philosophum. (e) Ad hoc etiam sunt duæ rationes Philosophi, quarum una est talis. (f) Illa dicuntur simul, que sunt in eodem indivisibili: igitur si est instanti idem secundum substantiam, omnia sunt æque presentia, & simul, & que *nunc*, & que in millesimo anno. *4. Physic.* Alia ratio est, quia cujuslibet continui sunt duo termini distincti: quam rationem sic declaro, quia *nunc* secundum substantiam, si est ipsa substantia mobilis, non est nisi contendere de verbis, si autem est aliud ab ipsa, puta aliquod indivisibile de genere Quantitatis: quero cujus sit continui terminus, vel cujus discreti pars: Quia omne indivisibile de genere Quantitatis per discreti, vel per terminus continui, vel pars discreti. Si ponatur pars discreti: ergo ponitur tempus discretum, quod Philosophus non concessit: Si ponatur terminus continui: ergo oportet, quod sit aliud, & aliud secundum substantiam, secundum quod

a *T. 104. b Tex. 90. c. 1. d. 4. item 3. Met. 1. 12. c T. 105. d Tex. 98. e Tex. 89. f *Ib. t. 10. Tex. 95. & 96.**



quod terminat aliam, & aliam partem continet, scilicet temporis, quia impossibile est idem secundum substantiam esse per se terminum alicujus quantitatis, & ejusdem principium. Et si dicas, quod terminat secundum diversa esse: Contra, cum ista esse accidunt illi *nunc* eidem secundum substantiam, quia per te, illud manet idem sub diversis esse, & per consequens ista accidunt sibi; & omne indivisibile de genere Quantitatis, vel per se terminat quantitatem, vel est per discreti sequitur quod illud *nunc* non sit indivisibile per se de genere Quantitatis. Præterea, ista esse quæro cuius generis sunt? Si hinc indivisibilia de genere Quantitatis: igitur sufficienter ad terminandum proprium continentur, adque illo *nunc* secundum substantiam, quod est inconveniens: quia nullum indivisibile per se terminat, nisi ratione quæ est terminus huius divisibile. Si autem sunt a seorsum generis, puta Qualitatis: igitur qualitas erit per se ratio terminandi continuum in genere Quantitatis, item hoc argumentum facit Comment. 4. *Physic. cap. 91.* Instant est terminus, & hinc alicujus hinc: sed omne finitum habet duos terminos, & duos fines: igitur & duo instantia. Et præterea, quomodo non mutaretur ipsum *nunc* secundum substantiam; si mutaretur secundum diversa esse? Et tunc oportet ejus, & suorum esse, quætere mensuram, & sic in iniquitum.

Præterea, aut illud *nunc* secundum substantiam idem est in quolibet mobili: aut præcisè in uno, non in quolibet, quia tunc unum accidens numero esset in diversis subjectis: nec in uno mobili præcisè: patet ex se. Ad Philosophum dico, quod non intelligit *nunc* manere idem secundum substantiam, quia oppositum sequitur ex dictis ejus: sed quodensque unum *nunc* consideratum secundum se est idem: & hoc dicitur esse idem secundum substantiam, consideratum autem in ordine ad tempus præteritum, & futurum, cum sit terminus præteriti, & principium futuri, dicitur distinctum secundum esse. Et ad hoc declarandum est illud simile de mobili, quod manet idem, non quidem mobile, ut absolute præcedit mutationem: quia hoc modo *nunc* non est mensura ejus, nec aliquid pertinet ad tempus: sed mobile, ut est sub una mutatione, est idem secundum substantiam, hoc est secundum esse illius mutationis consideratæ secundum se; & est aliud secundum esse, hoc est, ut sub illa mutatione terminat præteritum, & incipit futurum; & secundum hoc dicitur alibi, & alibi esse: non quod de n. acta, sed in uno *ubi*, medio inter extremam: quantum illi terminat motum secundum prius *ubi*, & inchoat motum secundum posterius *ubi*, dicitur alibi, & alibi; quia mutari est aliquid utriusque extremi. Unde Philof. 6. *Physicor.* vult quod quavis aliquid unum sit (a) in uno medio: tamen illud est aliud secundum extremum utriusque. Sed quomodo ex hoc solvitur illa quæstio Philosophi, quam movet 4. *Physicor.* (b) *Utrum idem nunc secundum substantiam maneat in toto tempore, vel non?* Dico, quod

quod sicut quæstionem illam, utrum tempus sit? nunquam solvit expressè, sed aliqua dicit, ex quibus potest colligi eius solutio: ita & in isto. (a) Si enim quodcumque unum mobile præcisè habet identitatem secundum substantiam, hoc est ad se, & distinctionem secundum esse, hoc est secundum ordinem ad aliam, & ad aliam partem motus: & eodem modo de instanti respectu partium temporis: & non est tanta identitas instanti in toto tempore, quanta est unius instanti respectu substantiæ mobilis: igitur instanti in toto tempore est aliud, & aliud secundum substantiam. Dico tunc ad instantiam si aliquid *nunc* similiter se habet ad substantiam mobilis, sicut ævum ad substantiam Angeli, illud *nunc* non est aliud, & aliud ab ipsa substantia; nec est aliquid indivisibile in genere Quantitatis, & si fingatur aliquid *nunc* de genere Quantitatis mensurare mobile secundum substantiam: nihil tale est in Angelo actualiter existente, sicut prius probatum est. Sed contra istud arguitur sic. Mobile potest considerari tripliciter; vel ut est sub medio mutationum, id est inter terminos mutationum; vel sub terminis mutationum; vel ut est prius motu, & mutatione; possibile tamen recipere ista. Primo modo correspondet sibi diversa *nunc* secundum esse. Secundo modo correspondet sibi aliquid propria mensura: sed hoc non est nisi *nunc* secundum substantiam, igitur, &c. Respondeo, si oportet tempus differre a motu, & per consequens instanti a mutatione, non est similis ratio, quod ponatur aliquid differens ab existentia ipsius Angeli uniformi, quod sit mensura ejus: nam si tempus differat a motu, hoc ideo est; quia partes ejusdem proportionis alicujus motus, non necessario sunt æquales in numero, & quantitate partium ejusdem proportionis temporis, nulla autem quantitas est eadem alteri quantitati nisi partes ejusdem proportionis, & quantitates in ea, sint æquales partibus ejusdem proportionis, & quantitates in reliqua; & hoc æquales tantum in numero, quam in magnitudine. Loquendo autem de quantitate, quæ est in motu, quam habet ex parte magnitudinis, sive formæ, secundum quam est motus; possunt aliquæ partes motus, puta decem partes integrantes totum motum esse cum decem partibus temporis: sed non sunt eadem eis: quia cum eisdem partibus temporis possint esse plures partes motus æquales prioribus partibus motus, vel tot inæquales, quia si dupla virtus movet idem mobile, & per consequens in duplo velociori, nulla pars erit in motu tardiori, quæ non erit in motu velociori, loquendo de partibus, quas habet in magnitudine: vel de partibus, quas habet secundum formam, quæ est: quia movens mobile motu velociori, non facit simul pertransire aliquas partes magnitudinis: sed præcisè alteram post alteram; ergo tot partes sunt in motu velociori, & tante, loquendo de ista quantitate: quot & quantæ sunt in motu tardiori? Non potest autem idem tempus, & habens easdem partes, esse cum isto mo-

a T. 103, Non solvit Philof. expressè an tempus sit. Vide Scot 4. *phy.* 2. 5.

a Text. 31. (b) Text. 90. Text. 87. 4. *Phys.*

motu, & cum illo motu; ergo ille partes temporis non erunt eadem, nec partibus istius motus, nec illius: quia non in eadem proportionem se habentes ad totum, nec sunt æquales istis partibus totius. Si hoc est verum, ex hoc concluderetur, quod indivisibile unius quantitatis non est indivisibile alterius quantitatis; sed ex hoc non sequitur, quod in aliquo permanente habente semper esse uniforme, oporteat ponere aliquid aliud a se pro mensura: quia ibi non tenet ratio de illis magnitudinibus, nec partibus eorum. Est ergo fallacia consequentie a maiori affirmative, si mutatio, si motus habeat mensuras alias a se: igitur et ipsa substantia, que prior est motu, & mutatione, habet mensuram aliam a se. Minus enim videtur esse distinctio, si ve non identitas in permanente, quam in fluxu, si ve in motu, & ejus mensura. Si tamen placeat dare aliquam aliam mensuram illi mobili, secundum quod est in se prius motu, & mutatione, illa mensura erit ævum, sicut patet in questione de mensura operationum Angeli. Et si querat aliam mensuram ejus, inquantum est in se, & inquantum est susceptivum motus & mutationis; dico, quod non est aliud, quia subiectum secundum illud, quod est in se, est susceptivum suæ propriæ passionis, & similiter si qua sit mensura, eadem est. Unde non est alia mensura superficiæ inquantum superficies est, & inquantum susceptiva est albedinis, & nigredinis. Ita dico, quod si substantia primi mobilis, vel cuiuscumque alterius manserit ævo, non est alia mensura ejus inquantum est prius motu naturaliter, & mutatione, & inquantum est receptivum motus, & naturaliter. Et si dicatur, quod inquantum quiescens est, habebit aliam mensuram, quam ævum: hoc falsum est, sicut patet ibi.

Ad secundam partem questionis, qua queritur, an debeat poni in Angelo existente aliquid mensurans ejus existentiam; dico quod *mensurare est* quantitatem ignotam certificare, per quantitatem magis notam; Certificatio autem aliquando potest fieri per quantitatem existentem in te vel imaginatione, sicut artifex expertus per aliquam quantitatem, quæ hæbet in sua imaginatione, mensurat quantitatem quamcumque sibi occurrentem. Aliquando autem potest fieri per quantitatem aliquam existentem in te, & hoc tripliciter. Vel excedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minore, per accessum ejus ad quantitatem majorem, vel recessum ab ea; & hoc modo mensura ponitur in quiddam rerum, & mensura est perfectior ipso mensurato, quæ dicitur esse notior naturaliter ipso mensurato: sicut albedo ponitur prima mensura in genere colorum, & Deus dicitur prima mensura omnium, quæ sunt in quocumque genere. Alio modo mensuratur per quantitatem excessivam, quia quantitas nota minor est, & pars quantitatis majoris, quæ magis ignota est; & tunc illa quantitas minor, per sui replicationem, mensurat ipsum totum quantum majus, & hoc modo minor motus potest esse mensura majoris motus ex natura rei. (4) Tertio modo mensuratur quantitas ignota per aliam

aliam quantitatem notam, & distinctam, & æqua em sibi; & hoc fit per applicationem, si ve suspensionem. Et quia illud, quod est mensura ex natura rei, debet esse notum naturaliter ipso mensurato; ideo in isto modo, scilicet tertio, unum æqualium non est mensura aliorum, nisi illa æqualitas nota fuerit ex natura rei, & hoc modo tempus, si est alia quantitas a motu, & notior eo; potest esse mensura motus ex natura rei. Alicui tamen intellectui potest illud esse mensura, quod ex natura rei non est mensura; puta si alicui sit nota quantitas unius, & quantitas panni ignota; potest tunc quantitas unius esse mensura quantitatis panni, licet ex natura rei, neutra quantitas habeat majorem certitudinem alia. Ad propositum igitur applicando, dico, quod in actuali existentia Angeli, non oportet querere aliquam mensuram intrinsecam aliam a natura rei ipsius mensuratæ, quia sicut probatum est, jam nihil est ibi aliud realiter a natura rei mensuratæ: mensura autem ex natura rei aliud est a mensurato, & patet, quod si ponitur in Angelo aliqua mensura non poneretur in eo, nisi hoc tertio modo; nec enim ex excedens, nec excessiva, sed æqualis: nec illa existentia; videtur posse esse mensura sui ipsius, sicut in aliis. Quantitas enim, ut distincte cognita, potest esse mensura sui ipsius, secundum partes suas continue cognitæ. Non est ista hic, cum ista existentia sit indivisibilis, in qua non possunt concepi partes continue, quia non habet in se partes simpliciter: ergo non est necessesse in Angelo existente, ponere aliquid aliud ab actuali ejus existentia, quod sit mensura illius existentia actualis: & si non est pluralitas ponenda sine necessitate, & hic non fit necessitas non videtur esse hic ponenda pluralitas. Non solum autem, non est necessarium ponere aliquid absolutum pro mensura, sed nec relationem aliquam: quia non est necesse hic aliam relationem aliquam ponere, quam illam, quæ est ad causam efficientem, vel conservantem; & illa non est aliud a fundamento, ex *quasi. 5. prime distinctæ*, hujus secundi.

Ad primum principale patet, quod consequentia non valet de tempore, & motu, comparando ad existentiam Angeli. Et ratio prius dicta est, respondendo ad unum argumentum: quia illud, quod concludit differentiam motus, & temporis, non concludit hic esse aliquid distinctum, & aliud ab existentia actuali Angeli: ideo nec mensura. Ad secundum patet, quod non conceditur aliud esse in actuali existentia Angeli, quod sit proprie quantitas, nec indivisibile de genere Quantitatis: quia sola existentia videtur posse nosci, absque omni alio addito.

### QVÆSTIO TERTIA.

*Verum omnium æviteriorum sit unum ævum?*

Q Uod non (a) quia; tunc illud esset in uno subiecto, quo destructo, vel

<sup>a</sup> Mag. F. D. Bon. 2. d. 2. a. 1. q. 2. Mai. q. 3. Dist. q. 5. T. c. 95. & 110. Henr. quod. 7. q. 13. vide quodlibet. q. 2.

vel mutato, mutarentur omnia alia æviterna: quod videtur inconveniens. Et similiter destructis aliis vedetur illud mutari, quia non esset in eo eorum respectu aliorum. Contra, unum est tempus omnium temporalium 4. *Physicorum*, ergo unum ævum omnium æviterorum.

Hic dicitur, quod tot sunt æva, quot æviterna, ita quod in quolibet æviterno, est aliquod indivisibile proprium, pertinens ad genus Quantitatis: & ex multis talibus potest constitui unus numerus, sicut recitatum est prius.

Sed ista positio ponere videtur pluralitatem sine necessitate: ideo videtur dicendum contra eam, sicut in precedenti questione dictum est: quia aut ævum vocatur æqualis existentia Angeli æviterni, & hoc modo, quot sunt Angeli, tot sunt æva: aut dicitur aliquid istiusmodi Angelo actualiter existenti, mensurans ipsam existentiam, & hoc modo ævum nihil est, sicut probatum est in precedenti quasi, aut ævum dicitur aliquid extrinsecum aliud ab actuali existentia Angeli æviterni: quod tamen extrinsecum ex natura sui natum est mensurare æqualem existentiam ipsius Angeli æviterni: & tunc potest poni tripliciter, quia vel potest negari omnem tale extrinsecum ex natura sui natum mensurare æqualem existentiam ipsius æviterni; ponendo namque existentiam habere existentiam æque invariabilem; quia licet una existentia sit perfectior alia; & per hoc possit eam mensurare tali mensuratione quiddam; sicut loquitur 10. *Metaph.* quod *primum in omni genere, &c.* (a) tamen mensuratione durativa; quæ dicitur aliquo modo reduci ad genus Quantitatis, non videtur una existentia invariabilis esse invariabilior alia; quia cuilibet omnino repugnat successio partium in ipsa; & tunc diceretur, quod cum ævum ponatur mensura alieius, inquantum durans est invariabiliter; & illud sic extrinsecum portaret esse notius ex natura rei secundum rationem invariabilitatis; & cum non sit talis differentia inter existentias æviterorum, nihil sic erit ævum. Vel alio modo potest dici, quod quilibet existentia superior est simplicior quilibet existentia inferiori, & nata certificare de ipsa existentia inferiori ex natura rei, & pro tanto quilibet existentia superior posset dici ævum respectu inferioris, & tunc tot sunt æva, quot æviterna, excepto hoc, quod in ultimo æviterno non est ævum, quia existentia eius nullam aliam existentiam invariabilem mensurat, & similiter existentia supremi Angeli est tantum ævum respectu aliorum inferiorum, quia existentia eius invariabiliter mensurat omnes alios, & non habet ævum aliquod isto modo, quia nullam aliam existentiam habet superiorem se. Vel potest dici tertio modo, quod si ævum non dicatur quæcumque (b) existentia simplicior alia, & notius nata certificare de eâ; sed illa simplicissima, quæ ex ratione sua formali, & in se est certissima, & primo nota nata certificare de aliis. Hoc modo potest concedi tantum unum ævum, scilicet existentia primi Angeli respectu omnium alio-

aliorum æviterorum. Quæcumque autem istam viam ponatur, saltem non est in aliquo æviterno suum ævum; nec in ultimo æviterno est aliquid ævum: nec primum sive supremum æviternum, in quo est primum ævum mensuratur aliquo ævo; quia nihil tale habet in se ex questione precedenti, nec in alio ex natura rei nata est certificari; quia quilibet alia est minus certa. (a) Contra istud primo arguitur, quia tunc sequeretur, si ita est, quod primum motus non mensurabitur tempore, sicut nec primum æviternum mensuratur ævo. Videtur enim similis comparatio hinc, & inde. Conceditur consequens propter istam rationem, quia secundum Philosophum 4. *Physic.* *Omne, quod est in tempore, exceditur a tempore, & corrumpitur, & habet in tempore; & ideo necessaria, & impossibilia non sunt in tempore.* Primum igitur motus, qui non corrumpitur in tempore, nec exceditur ab eo, non est in tempore, nec mensuratur tempore. (b) Sed ista ratio non valet, quia aliquid esse in tempore est sicut aliquid esse in numero, non est autem de ratione existentis in numero, quod excedatur a numero; inimò si accipitur primum numeratum, hoc est adequatum numeratum, illud adequatur ipsi numero: sed de ratione numerati est, quod pars ejus excedatur a numero, quia ipsum est majus sua parte, & ipsum totum est adequatum numero: igitur pars ejus exceditur a numero. Ita dico de eate in tempore, quod ex quo omne tale ens est de necessitate variabile secundum aliud, & aliud esse, necesse est secundum aliquod sui, puta secundum aliquam dispositionem, quam habet ex parte temporis, quod excedatur a tempore, quia aliter se habebit in alia parte temporis, & ideo impossibilia, & necessaria non sunt in tempore: quia non est alia, & alia dispositio in eis, ut possint excedi a tempore, vel aliter se habere. Primum autem motus, licet excedat se totum non excedatur a tempore tamen excedatur a tempore secundum quilibet ejus partem, & hoc sufficit ad hoc, ut vere dicatur mensurari tempore, & videtur inconveniens, quod tempus cum sit mensura uniformis, non habeat aliquid primum mensuratum uniformi, tale videtur primum motus. Tunc ad argumentum, nego consequens æm, quia non est similis ratio hic, & ibi. Similiter etiam primum motus mensuratur tempore, hoc est quia, vel motus ponitur aliud a tempore, propter istam rationem, quæ superius posita est in 4. *Physic.* vel ponendo tempus esse (c) idem motui, potest ille motus in mensurare se, non quidem primum, sed secundum partem, quæ nota est nata mensurare totum, sicut dicit Philosophus 4. *Physic.* (d) tempus mensurat ipsum motum in determinando quandam motum, qui postea mensurabit totum motum, sicut longitudinem cubitus in determinando aliquam magnitudinem, quæ metietur totum. Neutra tamen ratio potest esse in proposito: quia non est aliquid in æviterno primo aliud ab exi-

sten

a Ten. 2. b Vide D. Tho. quæst. 5, a. 7. & Var. representati.

a Utrum motus primus sit in temp. Ten. c. 117. Text. c. 120.

b Vide Scot. 4. phys. q. 18. c Quæst. præceden. q. 126. d 1. 114.

flencia sua, nec ipsa existentia sua est quanta, ut mensurari possit se ipsam secunda in aliquam partem notam habi.

Ad primum argumentum dico, quod destructio primo, non sequitur alia mutari, nisi secundum quandam relationem in eis, puta, quia tunc non erunt mensurata a primo, sicut prius fuerant mensurata: nec est inconveniens ponere talem mutationem in aliquo, quod prius habuit relationem, & modo non. Similiter quod interit, quod illud mutabitur destructis aliis. Dico, quod non sequitur: quia prius ad illa alia non habuit relationem realem, sed tantum rationis; quia non se habuit ad illa, sicut mensura dependens ad mensurata, sed sicut excedens, & ideo destructis aliis, non mutabitur absolute, nec secundum aliquam relationem realem: quia nulla relatio realis prius fuit in eo ad illa. Ad argumentum in oppositum, potest dici, quod loquendo de awo, prout, dicit aliquid extrinsecum aliud ab existentia Angeli mensurata, prima opinio sola negat unum awo esse illo modo; secunda autem; & tertia concedunt unum awo, licet secunda non concedat unum awo tantum. Et tunc si arguas, quod tantum est unum tempus omnium temporalium: ergo debet esse tantum unum awo omnium awo temporum. Consequentia non valet, quia non omnis motus superior habet rationem mensurae ex natura rei respectu inferiori: nec habet conditiones mensurae ex natura rei, sicut habet qualibet existentia superior respectu inferiori, loquendo de existentibus invariabilibus Angelorum: & ideo non est similis ratio hic, & ibi, scilicet, quod sicut ibi tantum est unum tempus omnium temporalium, quod ita fit hic tantum unum awo omnium awo temporum.

#### QUAESTIO QUARTA.

*Utrum operatio Angeli mensuretur awo?*

Quarto, & ultimo quarto quantum (a) ad istam materiam, *Utrum operatio Angeli mensuretur awo?* Quod non per auctorem de Causis, propositione penultima. Inter rem, cujus substantia, & actio mensuratur tempore; & rem; cujus substantia, & actio mensuratur aternitate, est res media, cujus substantia mensuratur aternitate, vel awo, & actio mensuratur tempore; Angelus est huiusmodi ergo, &c. Præterea 8. *Plysi.* nihil generatur ut statim non fit: ergo omnis operatio Angeli durat per tempus: & per consequens præterit non est in instanti, si autem esset in awo, cum non sit simpliciter, esset præterit in aliquo instanti: ergo, &c. Oppositum, operatio Angeli non mensuratur tempore, nec aternitate; igitur awo Consequentia probatur, quia non ponitur plures mensurae in mora essendi. Antecedens probatur, & patet de aternitate: de tempore probatur,

batur, quia Angelus posset habere operationem, non existentem motu cæli, sed motus cæli non existente, non est tempus: ergo, &c.

Hic dicitur, quod operatio Angeli intrinseca mensuratur tempore discreto, quod ponitur sic. Mensura (a), que est duratio rei, est modus, quo res mensuratur; & ipsa proportionatur mensurato: sicut mensura permanentis est permanentis, & fluentis est fluentis: igitur talem proportionem oportet invenire inter cognitiones, vel operationes intrinsecas Angeli, & mensuras earum. Illa autem cognitiones sunt transientes, quia Angelus non omnino habet unam intellectio-nem sibi possibilem, sed multas, que fluunt, & transiunt ordine quodam, ita quod una post aliam; & tamen absque connectione, ita quod Angelus non habet unam cognitionem connexæ post aliam, vel ex alia, quia non discurret, absque etiam successione, quia nulla istarum operationum est in continua acquisitione, & deperditione: sed dum est, est tota simul, & indivisibilis: ergo correspondebit eis mensura proportionalis habens partes transientes ordinatas, & indivisibiles: tale est tempus discretum: igitur, &c. Et confirmatur ista ratio per August. super Gen. ad literam (b). ubi vult, quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus. Si autem queritur, quid fit illud discretum tempus. Dicitur, quod est vere quantitas, & quantitas discreta distincta specie a continua; nec est species quantitatis discretæ, que est numerus, aut ratio, quia partes huius temporis non permanent; numeri quidem partes permanent, ita quod si non permanent, hoc accidit numero, pars autem orationis necessario non permanet, & tamen non continuatur cum alia parte. Convenit ergo tempus discretum cum oratione per hoc, quod pars eius non permanet: sed differt ab oratione, quia qualibet pars orationis vocalis continuatur cum vocali, vel consonantis cum consonante: & potest esse in tempore nostro vete, & mensurari ab aliqua parte temporis, licet non necessario continuatur alii parti. Nulla autem cognitio Angeli potest in se mensurari tempore (c): quia indivisibile est, nec potest continuari cum alia. Sed si queritur, quare istam quantitatem discretam non ponit Aristot. inter species quantitatis.

Respondetur, quod possit intelligi species esse quosdam Deos: & ideo non possit aliquam mensuram correspondentem operationi tali eorum, nisi simul totam. Si queratur, quomodo se habet istud tempus discretum ad tempus nostrum? Dicitur, quod *nunc* temporis discreti necessario coexistit alicui parti temporis nostri: & per consequens omnibus partibus, que sunt simul cum illo instanti. Si enim Angelus cum aliquo instanti nostro, habeat aliquam cognitionem primo, non statim in proximo instanti habeat aliam: sed in tempore sequenti habeat aliam cognitionem, & in ultimo instanti illius temporis sequentis, potest habere aliam cognitionem continu-

Tom. II.

F

cum

a. Mag. G. H. Vide Præteritum 196. & Aug. 12. Civ. cap. 154. & sup. Joan. h. 3. a. c. 6.

a. Henric. quod. 12. q. 3. quære. par. 4. present. b. Lib. 4. cap. 20. c. 12. Metaph. & alibi vide. sup. 2. d. 3. q. 5.

tum tempore nostro. Et additur, quod instans istud non habet aliquam proportionem ad instans nostrum; quia idem nunc illius temporis discreti, potest coexistere cum quocumque nostro tempore majori, vel minori; secundum quod Angelus potest continuare eandem intellectionem indivisibilem, cum majori, vel minori parte temporis nostri, absque alia nova intellectione.

Contra conclusionem hujus positionis, arguo primo sic. Quae habent uniformem modum manendi, dum manent, habent mensuram ejusdem rationis in manendo, licet una diutius maneat, quam altera: sed ista cognitio Angeli, dum manet, habet modum manendi eundem cum existentia Angeli, licet non habeat tantam durationem sicut existentia ejus habet: igitur (a) habet mensuram ejusdem rationis cum illa existentia, & ita mensuratur avo sua operatio, & non tempore. Major probatur, quia formalis rationi existentiae Angeli secundum uniformitatem, vel disformitatem correspondet propria ratio mensurae, secundum istos, distinguendo tres modos mensurae retum, secundum triplicem esse regum & ita patet major. Patet etiam minor, quia voluit quod mensura media correspondet illi, quod habet motum indivisibilem, & tamen desecibilem, ita quod potest ex se non esse, & illam mensuram ponunt avum, nunc autem, sicut Angeli existentia est indivisibilis, & tamen desecibilis: ita & cognitio ejus, secundum istos. Si dicatur, quod cognitio non semper erit, & existentia ejus semper erit, & ita non est simile de existentia ejus, & cognitione. Istud non videtur valere, quia etiam si Angelus foret statim annihilandus, non propter hoc non mensuraretur avo, dum manet. Si etiam dicatur, quod in potestate ejus est habere cognitionem istam, vel non habere, sic non est de actuali existentia ejus. Nec hoc videtur valere, quia sicut aliquando non fore, non variat existentiae mensuram, dum manet: ita multo magis illa causa, per quam potest ista potentialitas reduci ad actum, puta per creatam, vel incretam, non variabit formalem rationem mensurae existentiae ejus, vel motum ejus in existendo. Praeterea secundum omnes concedunt actum beatificum Angeli mensurari avo: patet per Aug. de fide ad Petr. 18. ille autem actus necessario includit, vel praesupponit actum naturalem, & hoc ponendo Angelum habere aliquam productionem in actu suo beatifico, licet non possit esse in totali productionem actus beatifici; impossibile autem est aviternum necessario includere, vel praesupponere aliquid posterius aviterno, quod scilicet mensuratur mensura posteriori avo; igitur ille actus naturalis, qui includitur in actu beatifico, non potest esse temporalis. Contra modum ponendi: videtur concedere magnam multitudine temporum sine necessitate. Sequitur enim quod quilibet Angelus habeat suum tempus discretum; quia unus potest continuare cognitionem suam cum die nostro: & Angelus alius potest suam continuare cum dimidio die: tertius cum hora, & ita unus Angelus habebit quatuor instantia sui temporis discreti, dum alius habet unum instans; immo

immo sequitur, quod in quolibet Angelo erunt duo tempora discreti, quia quilibet potest continuare intellectionem suam, non continuando volitionem, & ita habebit duo instantia intellectionis, & tantum unum instans volitionis. Praeterea avo secundum istum in diversis aviternis sunt alterius rationis, si existentia actualis aviternorum sunt alterius rationis; & in Angelis diversarum specierum potuit avo diversarum specierum, & igitur similiter intellectionem alterius speciei erunt nunc temporis discreti alterius speciei. Ex hoc arguo sic, nulla una quantitas componitur ex pluribus omnino diversarum rationum; quia licet sanarius possit componi ex binariis, & ternariis, quod tamen negat Philoſoſ. 5. Met. sex sans tantum semel sex (a), & Avic. 3. Met. tamen nulla quantitas composita ex pluribus, quantumcumque distinctarum rationum, potest esse eadem quantitas, puta quod sanarius potest esse ex denariis, & binariis, & quibuscumque. Sed dum fuit dies nostra, potest Angelus intelligere quaecumque intelligibilia naturalia distinctarum rationum, puta lapidem, lignum, ferrum, aquam, cuprum, & quodcumque aliud, post quodcumque aliud: ergo & tempus summi componetur ex instantibus diversarum rationum correspondentibus illis intellectionibus diversarum specierum, potest etiam non cogitare ista, vel intelligere, sed alia plura, vel tota illarum specierum, potest etiam per consequens tempus suum correspondens isti diei, esse compositum ex omnibus aliis partibus, & in nulla determinata positione se habentibus ad istud tempus: ergo, &c. Praeterea quod ponitur unum nunc illius temporis necessario coexistere pluribus instantibus nostri temporis, videtur esse fuga; & propter hoc poni videtur, ne concedatur tempus nostrum esse discretum, quia si instantia illius temporis praesente coexistere instantibus nostri, tunc sequeretur, quod sicut illud tempus est discretum, ita & nostrum tempus esset discretum: & hoc fugiendo videtur poni istud sine ratione, scilicet quod oporteret unum instans illius temporis coexistere multis partibus nostri temporis. Quod autem hoc non fit necessarium, proba, quia quocumque intelligibilia possum ego intelligere in aliquo tempore, tot intelligibilia, vel plura, potest Angelus intelligere in eodem tempore distincte: quia in intellectu creato, qui non potest omnia simul intelligere, videtur esse perfectionis, posse multa intelligere sine aliqua mora, nam hoc magis attribuitur ingeniosioribus: sed intellectus humanus potest habere intellectionem aliquam in aliquo instanti, & post statim potest habere aliam, & sic multas in aliquo tempore dato: igitur non est necesse Intellectum Angeli si intelligat A. cum aliquo instanti nostro, sistere in intellectione ipsius A. per aliquod tempus, & per instantia illius temporis, in quorum aliquo potest intellectus meus habere aliam intellectionem. Si enim dicitur, quod intellectus meus post instans, non potest intelligere immediate, sed oportet quod per tempus maneat in illa cognitione, alioquin non esset dare instantia instans illius cognitionis sequentis: Si enim poneretur

intellectionem illam indifferenter mensurari tempore, & instanti, non concluderet argumentum, tunc enim sicut non est medium inter instantans, & tempus; ita nec inter intellectionem eam, quae est in instanti, & illam, quae est in tempore immediato habito, & tunc secundae intellectionis non est dare primum. Sed inconueniens videtur, quod similes intellectiones non habeant praecise finiales mensuras.

Si autem intellectio Angeli mensuratur aeo, sicut postea dicitur, tunc etiam potest esse aliqua cum uno instanti, & aliqua cum tempore habito: & illa secunda habet primum sui esse, sicut, & prior: quia illa secunda habet mensuram indivisibilem, sicut & prima habet. Sed tamen nihil temporis nostri primum coexistit illi secundae intellectioni, & hoc modo est de intellectionibus Angeli; quia si aliquid intelligat cum instanti nostro, non oportet illam intellectionem manere per tempus habitum. Sed si statim habeat aliam intellectionem, illa coexistit tempori habito post instantans, cum quo fuit prior intellectio, & tunc nihil est temporis nostri primum coexistens illi secundae intellectioni. Praeterea videtur, quod ista debet dicitur consequenter, quod similes intellectiones nostrae mensurentur tempore discreto: quia intellectiones nostrae videntur esse totae simul secundum Philo. i. *Co. Ethicorum* (a) cum sint perfectae, & transientes, & ordine quodam se habeant. Et si dicatur, sicut ipse videtur dicere, quod habent connexionem, quia intelligimus discurrendo, discedendo hoc ex hoc, Angelus non sic; contra, hoc non facit per se continuationem, vel non per se continuationem intellectionis ad intellectionem, non enim magis successively acquiritur cognitio conclusionis, vel intellectio conclusionis ex hoc, quia pars acquiritur post partem, & cognitio conclusionis acquiritur post, & per cogitationem principii, quam si ista cognitio, videlicet conclusio, habetur praecise post cognitionem principii, & sine ea. Similiter possumus habere intellectiones distinctas succedentes sibi abeque discursu, etsi illae sint totae simul: igitur illae essent continuatae quasi in tempore discreto, quod est contra Philosophum in *de Memo. & Reminiscencia*, quia intelligimus cum continuo, & tempore. Praeterea, quod dicitur de distinctis numeri, & orationis, & huius temporis, quia partes numeri manent, & partes orationis possunt esse in se continuae, sed partes temporis istius, nec manent, nec possunt esse in se continue. Omnes istae differentiae videtur esse materiales, & non formaliter distinguere rationem quantitatis discretae, in quantum discreta est. Accidit enim quantitati habenti partes non copulatas ad terminum commune, quod illae partes simul maneat, sive fluant, sive qualibet in se sit indivisibilis, sive non.

Concedo conclusionem duarum primarum rationum, quod intellectiones Angeli mensurantur aeo, & breviter quatenus existentia actualis invariabilis, hoc est, cui repugnat, ut secundum ipsam sit variatio, sive fluxus, vel acquisitio partis post partem, nec enim perpetuitas aliquorum, vel corruptio, vel anni-

annihilatio aliquorum variat mensuram formaliter, dummodo existentia sit eiusdem rationis dum manet. Sed contra hoc: quia tunc videtur, quod omnia permanentia mensurantur aeo, nihil enim est permanens, cuius existentia non maneat eadem, dum manet, & hoc absque successione proprie dicta, quae sit acquisitio, vel perditio partis post partem: Consequens videtur esse inconueniens propter da. Primo, quia secundum Philosophum 4. *Physicorum* quies mensuratur tempore: (a) igitur illa, circa quam natus est esse motus, quando non sunt in motu, mensuratur tempore, sicut si essent in motu. Secundo, quia omnium generabilium, & corruptibilium generationes, & corruptiones mensurantur instanti temporis: cuius autem primum esse mensuratur *nunc* temporis, eius esse habitum mensuratur tempore; ergo omnium istorum esse habitum post generationem, mensuratur tempore. Ad primum dico, quod in entibus ista se habent secundum quandam ordinem: Primum fluxus formae: secundo forma, secundum quam est actualiter fluxus: & tertio forma, secundum quam potest esse fluxus partis post partem: & quarto permanens, in quo non est natus esse fluxus partium, tamen necessario habet formam consequentem, in qua natus est esse fluxus: quinta illud, in quo nec potest esse fluxus, nec in aliquo antecedente ipsum naturaliter. Primum essentialiter mensuratur tempore: quia contra rationem ejus formalem est permanentia, vel quod aliqua pars ejus maneat eadem, sed ratio ejus requirit partem ejus succedere parti. Secundum omnino invariabiliter manet idem dum manet, & ideo nullo modo mensuratur tempore, nec secundum se totum, nec secundum partem ejus, nec etiam mensuratur tempore per accidens. Quartum non mensuratur tempore per se, nec secundum ipsam est proprie quies, quia non est natum moveri: quiescit tamen per accidens, quia quies est secundum aliquam formam necessario consequentem ipsam. Secundum, & tertium est eadem forma, licet secundum diversam dispositionem accepta: & secundum illam, uno modo acceptam, est actu motus, & secundum alium modum acceptam, est actu quies. De illa forma potest dici, quod licet non habeat esse actu variatum, quando est quies secundum ipsam: habet tamen esse variabile, & ideo nunquam mensuratur aeo, quamquam non sit actu variatum: quia aevum requirit in suo mensurato esse invariabile, quam prima, quia ipsa actualiter nunc existens, videtur habere instantans temporis pro mensura, non autem *nunc* aevi, quod tamen oporteret ponere, ponendo ipsum, in quantum est actualiter sub motu, mensurari *nunc* temporis, & ut est actualiter sub quiete mensurari *nunc* aevi. Quando er-

go inferitur, quod omnia permanentia, mensurantur *nunc* ævi, vel ævo, patet quod non sequitur secundum unam viam, sed sola illa, quæ sunt vere permanentia, scilicet invariabilia, dum manent in actu, & tunc improbatio prima consequentis de quiete non valet: quia quies non est secundum aliquam talem formam, sed secundum illam præcise, secundum quam naturaliter est motus. Si tamen aliquis vellet concedere, calorem inquantum quies esse non variatum, mensurari ævo, potest dici, quod quies ejus mensuratur tempore; & tamen calor, cui inest, mensuratur ævo, quia quies non est nisi privatio alicujus successioneis partis potest patrem, secundum quod vult Philosophus. *4. Phys.* ubi tractat de contrarietate motus, & quietis, quod quies est privatio motus. & alibi, (a) ista autem privatio præsupponit actualem existentiam illius formæ, in qua est ista privatio, ita quod ipsa non est prima ratio existentie actualis: licet ergo privatio mensuretur sic tempore, non tamen sequitur propter hoc, quod existentia talis formæ mensuretur tempore, sed magis alia mensura priorè. Et si dicas quomodo potest ista privatio, ut distinguitur contra actualem existentiam, mensurari tempore? Dico, quod sicut vacuum, si esset, mensuraretur eadem magnitudine, qua plenum; si enim esset ista domus vacua, major distantia esset mei ad unum parietem, quam ad alium, sicut natum est esse majus plenum inter me, & illum parietem, quam inter me, & alium. Tunc enim diceretur vacuum esse tantum, quantum corpus illud, si vacuum non esset, & esse interceptum in vacuo, & quantum natum esset esse plenum. Ita in proposito, tanta privatio est successioneis in partibus formæ, quantum nata est esse per motum in eadem forma. Hæc enim mensuratio est quietis non positive, sed privative per motum, qui tunc potest inesse, quando ista privatio inest. (b) sicut in aliis privatio semper mensuratur ubi habetur, tantum enim malum est cæcitas in oculo apto nato ad videndum in determinato tempore, quantum bonum est visio. (c) Hoc modo licet Arist. dicat, quod quies non mensuratur nisi per accidens, potest tamen dici hoc modo, quod mensuratur per se eo modo, scilicet quo privatio mensuratur per se: quia hoc convenit privationi per se, quod convenit ei inquantum est talis natura, hoc autem, quod ipsa sit tanta, vel tanta, convenit ei, inquantum est tanti vel tanti positive. Est igitur concederetur calorem inquantum qui essentem, sive quietem caloris, mensurari tempore; non tamen oportet, quod actualis existentia caloris mensuretur tempore, quæ præcedit naturaliter istam rationem quietis. Illa enim secundum se non habet habitudinem ad tempus, inquantum talis, nec actualem, nec aptitudinalem. Si tamen conceditur secundum illam aliam viam omnem talem formam, dum manet, habere existentiam variabilem, & existentiam non tantum variatam, sed etiam variabilem, mensuratur tempore; tunc omnino est ponendum, illa en-

a Text. 52. 53. idem 8. Phys. text. 71. b Vide Comasibi sup. 4. Phys. e Ubi sup.

tia non mensurari ævo, secundum quorum formas potest esse motus, sed bene concedendum est substantias generabiles, & corruptibiles, per se mensurari ævo, licet per accidens, hoc est secundum quantitatem naturalem consequentem eas, mensurentur tempore. Et tunc ad secundam instantiam, que est de generabilibus, & corruptibilibus, dicendum, quod accipiendo istarum substantiarum mutationem, secundum quod loquitur Philosophus de ea, illa est indivisibilis necessario concomitans indivisibile terminus motus: ita quod cum dicitur, mutari est aliter se habere nunc, quam prius: *aliter se habere nunc* accipitur pro indivisibili *esse* formæ per terminus fluxum, per se primo mensuratur instanti, & ad illud proprie est mutatio: sed ad primum esse formæ, quod non est per terminus fluxum, non est proprie mutatio, & primo, sed quasi secundario, inquantum illud primum esse concomitatur mutationem proprie dictam. Concedo igitur, quod primum esse substantie generabilis, inquantum concomitatur mutationem proprie dictam, mensuratur instanti, sed non sequitur ultra: ergo esse habitum post illud instanti, mensuratur tempore, quia in primo instanti comparatur illud esse ad causam particularem generantem, a qua est: & post illud instanti non habet dependentiam ad illam particularem causam generantem, sed tantum ad primam causam conservantem, & tunc habet habitudinem uniformem ad illam causam conservantem, sicut esse Angeli, quia conservatur in identitate perfecta absque varietate. Et ex hoc patet ad argumentum, quod posse fieri de successione mutatio, & ulterius: mutatio, ergo innovatio, per se consequens mutatio; & ulterius: mutatio mensuratur in instanti temporis: ergo aviternum est temporale: quia quidquid mensuratur tempore, vel instanti temporis, est temporale. Respondeo, quod non omnis forma, secundum quam est innovatio, vel variatio, mensuratur tempore, vel instanti temporis: sed solum illa, secundum quam mutabile aliter se habuit successive, quam nunc se habet indivisibiliter: hoc est, ejus terminus, ad quem, divisibiliter habito, necessario præsupponitur terminus, a quo indivisibiliter; & in termino habitus, & hoc vel secundum quem fuit motus mensuratur tempore, vel ut necessario concomitans motum mensuratum tempore. Per hoc etiam patet, quod Deus possit creare aliquid sine omni tempore, dato etiam quod creatio, vel annihilatio diceretur esse mutatio, quoad hoc, quod est ibi successio formæ post negationem ejus, quia non est mutatio eo modo, quo Philosophus loquitur de mutatione, quia non est indivisibile necessario terminus fluxum sui oppositi, nec ut primo fluxus, nec ut necessario concomitans motum mensuratum tempore.

Ad primum argumentum principale dico, quod doctrina de causis tria tria, est secundum doctrinam Avicene. error enim, ac si intelligeret ille Autor in intelligentias esse Deos quosdam, & earum operationes mensurari, *nunc* temporis: non quidem intermixtum operationibus, quia hoc non poneret potentialitatem, nec successivam: sed extrin-

factam eius corpus esse in momento temporis: & ideo auctoritas illa non est habenda sicut auctoritas, quia tradita est per radicem erroneousam.

Ad secundum potest concedi, quod intellectio Angeli non rapta est, sed durat cum aliquo tempore nostro, & tamen non propter hoc sequitur quod sit in tempore. Potest enim, quod est in aëre durare cum nostro tempore. Vel potest dici, quod aliqua intellectio potest in esse Angeli præcise cum instanti temporis nostri: & post illud instans potest habere aliam intellectiorem immediate. Et quando dicitur, natura nihil producit, ut statim non sit. Verum est, quod natura non intendit hoc statim non esse, quod producit: nec etiam natura per generationem aliquid producit, quin inerat generationem, & corruptionem, quæ sunt in instantibus temporis continui, sit tempus medium: & ideo generatio, & corruptio non possunt continuari sibi invicem perpetuo secundum intentionem Philosophi ibi. Tamen non est inconveniens aliquid esse non in tempore continuo, & statim non esse, sicut apparet de mutatione, & instanti, quæ non habent esse nisi captivum, & statim non sunt. Ad aliud, quod adducitur pro prima opin. secundum Aug. *Dei movet per tempus*. Potest dici, quod accipit ibi *tempus*, pro omni eo, quod potest habere esse post non esse, sicut explicate sunt auctoritates in *7. q. de aëre*. Et hoc modo quodlibet aliud a Deo est temporale; & illud potest dici moveri per tempus, quod habet aliquid succedens alteri, ut esse post non esse, licet succedens, vel illud cui succedit, non sit proprie temporale: quia non esse, vel nihil nullam habet mensuram; ita dicendum est in proposito.

### QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum Angelus sit in loco?*

Quinto circa secundam partem huius d. in qua (a) tractat Magister, ubi fuerit Angeli creati, queritur de loco Angeli. Ubi queritur primo circa hoc, *Utrum Ang. sit in loco*. (b) Videtur primo quod non. Beatus de Habdonad. *Communis animi conceptio est incorporea non esse in loco*. (c) Secundo sic. August. 83. q. 9. q. 20. videtur probare ex intentione, quod Deus non est in loco per hoc modum, quod non est corpus: præmissa est verba de Angelo: (d) Ergo & conclusio. Item *super Gen.* dicit de Deo: quod movet creaturam corporealem per locum, & tempus, spirituales per tempus tantum: ergo negat a spirituali motionem per locum: & ita negat eam esse in loco. Tertio Aristot. 4. *Phys.* *Locus est ultimum corporis continentis immobile primum*. &c. Sed nullum corpus continet

a Arg. 1. b Arg. 2. c Vide Aug. ad *Prosl.* 4. c. 2.

d Arg. 3. Text. c. 41. *Phil.* 1. *Cal.* c. 69. ad hoc, *Ubi* inquit *Arist.* in predicamento quantitatis.

net Angelum: quia continens est actualis contento: nullum autem corpus est actualis Angelo, ergo, &c. Quarto sic, Omne locatum habet situm: sed situs non convenit nisi quanto, quod patet, quia *possio* uno modo est differentia quantitatis, & illo modo non convenit nisi quantitati. Alio modo, ut est *Prædicamentum*, est passio fundata in quantitate: ergo nullo modo convenit Angelo, ergo nec locus: Contra hoc est Magister in littera, & *disinfr.* 37. primi & adducit ad hoc auctoritates. Similiter Dam. c. 13. *¶ 16. & 20.*

### QUÆSTIO VI.

*An locus Angeli sit determinatus, punctualis, maximus, & minimus?*

Sexto juxta hoc quarto sine argumentis: (a) *Utrum Angelus requiratur determinatum locum, ita quod nec in majori, nec in minori possit esse, sed præcise in tanto loco: & includitur hic. Utrum possit esse in loco punctuali?* Et *Utrum in quantumcumque magno loco, & in quantumcumque parvo?*

Ad primam questionem dicitur, quod Angelus est in loco per operationem præcise ad quod probandum adducitur Damasc. c. 13. *Incorporea*, inquit, *natura ubi adest, & operatur, non corporaliter, sed spiritualiter continetur, & infra eodem c. Intelligentia dicitur circumscripti, ubi adest intellectualiter, & operatur, &c. 16. Intellectualiter adest, & operari, ubi utique missi fuerint. Ita quod semper videtur cum esse Angeli in loco, adungere operari, quasi hoc sit Angelum esse in loco, ipsum operari in loco.*

Contra hoc est, quia istud videtur esse damnatum, sicut quidam articulus damnatus ab Episcopo Parisiensi, & excommunicatus Quod si dicatur, quod excommunicatio non transeat mare vel dicentem. Si tamen fuit articulus condemnatus, sicut articulus hæreticus, ubique est condemnatus sicut hæreticus non auctoritate diocesani tantum, sed etiam auctoritate Papæ, extra. de hæres. c. *Ad abolendam*, vel saltem sententia est suspecta, quando in aliqua universitate solemniter est damnata. Alii autem nolentes verbo suspecto uti, Angelum videlicet, esse in loco per operationem: dicunt ipsum esse in loco per applicationem ejus ad locum. (b) Sed isti videtur idem dicendo, sub alio vocabulo occultare, non enim videtur applicatio, posse intelligi aliquid esse, nisi sit actus primus, vel actus secundus, non actus primus, patet tunc actus secundus, quia si intelligitur actus secundus: ergo operatio, & non immanens, ut intellectio, vel volitio, quia operatio ejus immanens ita abstrahit a loco, sicut

a D. Th. 1. q. 52. ar. 1. & 2. quare cum in 2. *¶* in 1. d. 37. *¶* *Agid.* in 1. d. 18. q. 8. *¶* *Var. hic vide c. 7.*

b *Goffred.* quodl. 8. q. 13. hic modus dicendi videtur potius D. Th. quam prior. vide cum quodl. 1. ar. 5.